



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXVIII. Fridericus IV. LVII. Arch. XLI. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

nae novae femina in tempore suffocanda esse probè gnarus : unde è Coloniae ditionibus migrare jussi Heterodoxi , agerrimè obtemperârunt : Adolphus verò ad nutum Romani Pontificis & Caroli Cæsaris intentus , inter Concilii Tridentini Patres dixit sententiam ; 9. annorum Archiepiscopus , multis Catholicorum encomiis exornatus vivus & mortuus 1556.

LXXVI. ANTONIVS LV. ARCH.

XXXIX. ELECTOR.

ANtonius Comes de Schauenburg, Adolphi III. frater, ob fratris & sua merita insignia in Caput Coloniae supremum electus , plura desideravit agere , quàm egit morte præventus immatura an. Sedis jam altero : unde habet distichon :

Successit fratri paucis Antonius annis,
Cum vita, haud virtus destituere virum.

LXXVII. IOANNES GEBHARDVS LVI. ARCH.

XL. ELECTOR.

Gebhardus Comes Mansfeldius vix electus est Archipræsul , mox morbo prostratus diuturno , cœpit mortem meditari vix 4. annorum Elector , mortuus an. 1562.

LXXVIII. FRIDERICVS IV. LVII. ARCH.

XLI. ELECTOR.

FRiderico Comiti de Wied , cum non minùs quàm Gebhardo , perpetui morbi incubuissent , honorificum Electoratus munus , & ponderosum onus in Successorem liberè transtulit an. Sedis 5. vel 6. servata sibi in annos futuros non magnâ auri summâ , quam tamen etiam mors brevè secuta invidere est visa an. 1567.